LAUDATIO FUNEBRIS

IN

MEMORIAM

Admodum Venerandi ac Celeberrimi

VIRI

CAMPEGII VITRINGA,

SS. Theologiæ Doctoris, ejusdemque ac Historiæ Ecclesiasticæ Professoris, dum fuit, Ordinarii.


EXEQUIIS SOLENNITER CELEBRATIS,

IN TEMPLO ACADEMICO

HABITA AB

ALBERTO SCHULTENS

Die 13. *Aprilis* CIↃ IↃ CCXXII.



FRANEQUERÆ,

Excudit HENRICUS HALMA, Illustr. Frisiæ Ordd. atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordin. MDCCXXII.

Beati mortui qui in Domino decedunt; ab hoc ipso tempore. Næ, dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis: & ſua eos opera comitantur.

PROGRAMMA.

JOANNES ORTWINUS WESTENBERGIUS,

ILLUSTRIS FRISIORUM ACADEMIÆ, H. T. RECTOR,

L. S.

HAbet has vices hominum rerumque humanarum conditio, ut lætitiæ ac tristitiæ suæ sint partes, sua tempora. Fuit non ita pridem tempus lætitiæ, quo Illustre hoc Athenæum, ob adjunctum nobis, initiatumque Collegam Clarissimum, gaudio fuit repletum. Sed subito succedit tempus tristitiæ, lætaque vertuntur in luctum & lachrymas. Et sane, si unquam Luctus non tantum Privati, sed & Publici, ob damnum illatum irreparabile, vulnusque inflictum gravissimum, justa fuit causa, ea nunc adest justissima. Amisit Resp. nostra Literaria Columen ac Præsidium firmissimum! amisit Senatus Collegam optimum ac suavissimum! amisit Studiosa Juventus Lumen ac Doctorem eximium! ipsaque Ecclesia ac Patria Virum omnibus utilem ac salutarem! Occidit eheu! & luctuoso prorsus ac inopinato fato extinctus est, Vir Plurimum Reverendus ac Clarissimus CAMPEGIUS VITRINGA PATER, SS. Theologiæ Doctor, ejusque, ut & Historiæ Sacræ, Professor Ordinarius Celeberrimus. Qui lucem primum aspexit XVI. Maji A. C. MDCLIX. in Urbe antiquissima ac splendidissima, FRISIORUM Metropoli, Leovardiensi, Parentibus ac Majoribus editus Civibus singulari probitate, industria, & interiori pietate insignibus, & laudatissimis. *Patrem* enim habuit Virum Spectatissimum HORATIUM VITRINGA, cujus fidei ac virtutis æstimatio vivo ipso constans fuit, neque mortuo cessavit. Neque optimam famam meritus duntaxat est probitate sua, sed & honores conditioni suæ exoptandos, & decoros. Admotus enim est muneri Secretarii seu Secundi Graphiarii Curiæ FRISIORUM Supremæ, idque prudentissime administravit, donec in fi-

A lium,

lium, pie Defuncti Fratrem Germanum, MARTINUM VITRINGA (qui eo simili cum laude etiamnum fungitur) transferret, Scabinatus postea Urbis Leovardiensis dignitate decoratus. *Avum* WIGERUM WIGERI, integrum pariter honestumque Civem, qui in matrimonio habuit pissimam foeminam, de pie Defuncto nostro optime meritam, MARGARETAM HORATII, quæ pietatis infucatæ & raræ virtutis semen susceperat ex matre sua, Defuncti Abavia, TANNEKE HORATII, quæ cum Parentibus suis ex Brabantia, cum persecutio Ducis Albani ardebat, in has oras se contulerat, pietatis ac Veri Dei cultus causa solum vertens patrium, & rei familiaris jacturam faciens insignem. Unde &, cum postmodum hic ipsis denuo benedixisset Deus O. M. insigni semper ac laudatissima erga pauperes, & religionis causa profugos, liberalitate fuit & beneficentia. *Matrem* vero habuit egregiam foeminam, maximis animi dotibus & virtutibus insignem ALBERTINAM DE HAEN, spectata oriundam familia ex Frisia Orientali, ubi se, ut & in hac FRISIA diffudit, variosque dedit honestissimos ac dignitate conspicuos Viros. Quæ ex Patre Defuncti, præter ipsum pie Defunctum, IV. suscepit liberos, filiam scil. unicam ANNAM, filios vero III. WIGERUM Sc. Juris Utriusque Doctorem, MARTINUM multa cum laude & honore domus superstitem, Supremæ Frisiorum Curiæ Secretarium, atque hoc tempore Urbis Leovardiensis iterum Scabinum; ac HORATIUM, Sacri Ærarii apud Leovardienses Quæstorem, præmatura morte uxori liberisque jam dudum ereptum. Quibus Parentibus ortus ὁ Μακαρίτης jam inde a teneris operam dedit, ut dignum se suis præberet Auctoribus, atque in eas succresceret laudes, quæ egregios natales decerent. Ludo enim Literario Leovardiensi, quam primum ætas ferebat, a Patre, qui liberis suis prudenter & in timore Domini educandis totus incumbebat, traditus, Literarum se cupidissimum esse ostendit, brevique, ductu inprimis, qui tum Scholas moderabatur, Doctissimi ROMBERGII, eos fecit progressus, ut Linguæ Latinæ non tantum & Logices poneret fundamenta, sed & Veteris Codicis textum Hebræum absque offensione, & sine interprete, ubique fere legeret, Novoque Testamento ter, quater, & amplius, a capite ad calcem evoluto, Græcum textum sibi familiarem redderet, adeoque excusso pulvere Scholastico, A. C. MDCLXXV. recitata feliciter, & non vulgari cum laude, Oratione, *de Patientia Christiana*, ad capessenda sublimiorum Disciplinarum studia, una cum Fratre WIGERO, admodum Juvenis, cum scil. annorum esset

XVI. ad Academiam Patriam Franequeranam mitti potuerit. Ubi cum integrum annum in Propædeuticis exegiſſet, opera maxime uſus Cl. JOHANNIS TERENTII, & Cl. NICOLAI BLANCARDI, habita Diſputatione Publice (cujus ipſe auctor erat) *de Igne*, animum atque induſtriam admovere cœpit ad ſtudia Theologices, cui illo tempore præerant Clariſſimi ac Celeberrimi Viri NICOLAUS ARNOLDI, & HERMANNUS WITSIUS, nec non, qui paulo poſt iis adjunctus eſt, JOHANNES MARCKIUS. Quibus omnibus, maxime vero WITSIO, cui in Eccleſia Leovardienſi familiarius innotuerat, per biennium ſedulam ac diligentem dedit operam; tantoſque in Divinarum rerum ſcientia fecit profectus, ut proprio Marte tres iterum conſcriberet Diſſertationes *de Origine Monachatus*: Quarum *Primam* ſub Cl. WITSIO, *Alteram* ſub Cl. ARNOLDO, *Tertiam* vero Præſide Cl. MARCKIO, optimo cum ſucceſſu, ſimiliter publice defendit. Sed hiſce non contentus ad altiora ſemper ſpirans Defuncti Noſtri generoſus animus, ſumma quoque flagrabat cupiditate, & alios Viros eruditione Illuſtres, & in primis eos, qui Sacris ſtudiis in vicina Batavorum Academia Lugdunenſi præpoſiti erant, videndi & audiendi, qui tum per famam, tum ex ſcriptis ipſi maxime innotuerant; CC. ſcil. FRIDERICUM SPANHEIMIUM F. CHRISTOPHORUM WITTICHIUM, STEPHANUM LE MOYNE, & ANTONIUM HULSIUM. Quapropter literis a laudatis jam Academiæ noſtræ Theologis impetratis teſtimonialibus, in quibus inter alia augurium Cl. WITSII extabat, Defunctum ſcil. *eum ſibi viſum cui feſſus rerum olim Lampada tradere poſſet*, Lugdunum Batavorum bonis avibus tranſiit, & ex Prælectionibus Celeberrimorum illorum Virorum, penu eruditionis amplum, quod ſibi jam comparaverat, reddidit inſtructiſſimum. Speciminaque ulteriorum progreſſuum, nondum vertente anno, in Illuſtri illo Artium ac Scientiarum theatro, exhibuit Diſputationes iterum tres *de argumento Pſalmi ſecundi*; Quarum *Primæ* præſedit Cl. LE MOYNE, *Secundæ* Cl. SPANHEIMIUS, *Tertia* vero inauguralis fuit pro impetrando gradu Doctoratus in Theologia, ad quem etiam ſummo ſuo merito, Promotore Cl. HULSIO, provectus eſt IX. Jul. A. C. MDCLXXIX. cum annum ætatis impleſſet XX. Unde reverſus, luculentiſque teſtimoniis inſtructus, Claſſi primum Leovardienſi nomen dedit, & inter S. Miniſterii Candidatos adſcriptus eſt III. Jun. A. C. MDCLXXX. Cumque paulo poſt, Cl. WITSIO Trajectum abeunte, Cl. WAYENUS, Profeſſione Theologica contentus, Profeſſione Literaturæ Hebraicæ ſeſe abdicaſſet, ad Profeſſionem Lin-

guarum Orientalium vocatus est XIX. Aug. A. C. MDCLXXX. ipsoque Serenissimo Nassaviæ Principe Casimiro præsente, habita, summo omnium cum applausu, Oratione *de Officio probi Sacrarum Literarum interpretis*, inauguratus est XI. Jan. MDCLXXXI. Quo munere ornatus, dum alia virtutis præmia fortuna promittit, de thori, futuræque rei familiaris socia, circumspicere cœpit, sibique adulto autumno A. C. MDCLXXXI. in matrimonium adscivit virginem lectissimam, insigni corporis specie, ingenio, prudentia, maximisque animi dotibus, & virtutibus præstantem, WILHELMINAM VAN HELL, Viri summe reverendi, insigni familia & Doctrinæ meritis conspicui, SIMONIS HELLII, Ecclesiastæ Harlemensis Senioris filiam natu maximam, nunc proh dolor! Viduam mœstissimam. Quæ uti tenerrime ab eo amabatur, sic valetudinem ejus (sæpe adversam) curavit diligenter, maximoque ei semper fuit solatio, & v. liberorum, quatuor scil. filiorum, SIMONIS, duorum HORATIORUM, & CAMPEGII, unicæ vero filiæ JOANNÆ MARGARETÆ, Mater extitit; Ex quibus duo tantum sunt superstites, Filia scil. JOANNA MARGARETA matrona præstantissima, quæ WILHELMO nupsit KUITZIO, Mercatori apud Harlemenses florentissimo & Ecclesiæ Seniori Gravissimo, sed eodem ante paucos menses orbata, duplici nunc funere afflicta, gravissime mœret; & filius CAMPEGIUS VITRINGA SS. Theologiæ Doctor, ejusque in Alma hac Academia Professor Ordinarius, Dignissimus, summo Parentum gaudio, maximo suo merito, vivo Patri in Professione Theologica adjunctus, sanandoque vulneri gravissimo, per obitum Patris, tum familiæ, tum Reip. illato, ceu genuinus Nominis, Eruditionis, Virtutumque Paternarum heres, idoneus; qui uxorem duxit virginem lectissimam ANNAM SOPHIAM SIXTI, spectabili similiter familia oriundam, Consultissimi Viri GELLII SIXTI J. U. Doctoris, & censendis copiis *Frisiæ* militaribus quondam Præfecti, Filiam unicam, mortem non tantum Soceri, sed & venerandæ AVIÆ suæ MARIÆ HANENBURG, Cl. ac Celeberrimi Viri PHILIPPI MATTHÆI Medicinæ Doctoris, ejusque, ut & Botanices, dum viveret, in Alma hac Academia Professoris Honorarii Viduæ, quæ eodem die quo Defunctus noster simili inopinato fato occubuit, vehementer dolentem. Verum munere Professionis Hebreæ, quod strenue & laudabiliter obiit, non diu functus est. Destinata ipsius meritis per Divinam providentiam erat Professio Theologica. Quæ, evocato ad Groninganam Cathedram Cl. MARCKIO, non longe post ipsi in Hollandia feriarum tempore agenti, per Literas ab Illustribus ac Præpotentibus Deputatis Ordinibus XVIII. Jul.

MDCLXXXII.

MDCLXXXII. signatas, oblata est; dilata per varia impedimenta Inauguratione in VI. Idus Maji MDCLXXXIII. quo, dicta felicissime Oratione, *de Amore Veritatis*, eam publice auspicatus est. In qua statione postquam summo cum honore decennium exegerat, studioque Historiarum etiam esset celeberrimus, discedenti hinc Lugdunum in Batavis Cl. PERIZONIO, nova, ad commendationem Amplissimorum Academiæ Curatorum, ab Illustribus ac Præpotentibus Proceribus VI. Maji MDCXCIII. cum luculenta honoris præfatione, in eum collata est dignitas Professionis Historiæ Sacræ. Cumque jam longe lateque fama jubarque eruditionis ipsius sese diffudisset, & Cl. WITSIUS similiter Trajecto abiisset Lugdunum, Amplissimus Senatus Trajectinus, XXII. Aug. MDCXCVIII. concordi sententia, annuo statuto bis mille Carolinorum, Defunctum nostrum ei designavit successorem. Sæpiusque postea, cum prius Decretum, varias ob causas, caruisset effectu, eandem vocationem, non tantum iisdem, sed & amplioribus ac lautioribus conditionibus, ei obtulit. Sed Patriæ inservire Academiæ satius duxit pie Defunctus, conditionesque oblatas, quantumvis lautissimas, modeste ac constanter recusavit. Quod quam gratum fuerit Illustribus ac Præpotentibus hujus Provinciæ Proceribus publice testatum voluerunt, dum annuum ejus salarium, non ignobili accessione, 400. scil Carolinorum, auxerunt, eique in posterum 2000. annuos decreverunt, quanto honorario nemo ante Virum Amplissimum ULRICUM HUBERUM gavisus est. Ex quo tempore in id unice incubuit, ut Academiam Patriam dotibus suis ac laboribus magis magisque ornaret, Patriæque & florentissimæ in ea Ecclesiæ prodesset. Testes sunt labores ejus adsidui & indefessi; Testes sunt frequentes ab ipso habitæ tum Orationes tum Disputationes; Testes denique sunt *Libri Observationum* ipsius, *Archisynagogus*, *Commentarii de Templo Ezechielis*, *de Synagoga Vetere*, *ad Parabolas*, *Apocalypsin Joannis*, *Jesaiam*, aliaque, quæ præter privata variis temporibus in publicum prodierunt, opera eruditissima, ipsis etiam veritatis hostibus ab eruditione probata. Quorum omnium & ipse fructum percepit amplissimum ac optatissimum, ut non tantum per XLI. annos florentissimæ ipsius fuerint Scholæ, & spectabilis ad eum passim ex ultima Hungaria, Polonia, Gallia, Scotia, Germania, omnique Belgio, Juvenum fuerit confluxus & concursus, ejusmodi etiam, ut auditoria eos sæpe non caperent, sed & plurimi ex laudatissima ejus institutione prodierint Viri dignitate ac doctrina conspicui, interque eos Professores & Pastores hoc ipso tempore adhuc viventes & florentes, qui ab ipso ad ædificationem Sanctorum

formati & instructi, utilissimam ejus operam grati agnoscunt, de eoque cum pia ejus recordatione sibi gratulantur; Omnibusque semper carissimus fuerit ac gratissimus. Quod non tantum summa, qua pollebat, eruditione, sed & moribus meritus est Sanctissimis. Vir enim erat antiqua & prisca virtute & fide, gravis, sincerus, humanus, blandus, facilis, affabilis, in exprimendis animi sententiis candidus, colendis amicitiis constans, honestatis denique ac pietatis studiosissimus, ac proinde longiori vita dignissimus. Sed aliud visum est summo rerum Arbitro Deo O. M. Cum enim variis morbis, & incommodis, jam sæpius fuisset affectus, & ex aliquo tempore tardiore cœpisset esse auditu, viribusque debilioribus, Die XXXI. Martii hujus anni hora semi quinta pomeridiana (absente qui paulo ante in Hollandiam profectus erat Filio) morbo gravissimo, quem *Perfectam Apoplexiam* vocant Medici, correptus, omnique linguæ usu & corporis sensibus subito destitutus est. Cumque adhibita, per Cl. Virum WYERUM GULIELMUM MUYS Medicinæ Doctorem, ejusque ut & Matheseos in hac Academia Professorem Celeberrimum, vigilanter ac sollicite, quæ conducere videbantur, remedia, optato carerent successu, morbique vis magis magisque in pejus vergeret, omni præcisa spe salutis, hora fere media XI. vespertina ejusdem diei, inter Uxoris charissimæ, nunc Viduæ mœstissimæ, Fratris sui dilecti Supremæ Curiæ Secretarii Spectatissimi, ejusque filiæ Virginis præstantissimæ, qui eodem die advenerant, aliorumque adstantium, lachrymas, placida morte obdormivit, piissimamque animam, ex longo jam tempore ad tales inopinatos casus præparatam, & per Spiritum Sanctum purificatam, reposcenti Creatori suo ac Redemtori reddens, in cœlestem gloriam, & æterna gaudia translatus est, anno ætatis LXIII. Sed hæc breviter ac carptim tantum exhibere licuit; Quæ omnia, ut & plura alia, plenius ac copiosius, pro concione, solenni Oratione exponet Vir Clarissimus ac Facundissimus ALBERTUS SCHULTENSIUS, Linguarum Orientalium Professor Ordinarius Celeberrimus, in quem tristis hæc Provincia, ad petitionem Venerandæ Viduæ, unanimi Amplissimi Senatus Academici consensu, collata est. Cum autem efferendo Funeri dies dictus sit proximus Lunæ XIII. Aprilis, hora I. pomeridiana, Viros omnium Ordinum ac Dignitatum, Illustres, Amplissimos, Clarissimos, Spectatissimos, Venerandos, Doctissimos, omnesque Academiæ & Oppidi Cives Præstantissimos, ut meritis pie defuncti debitum honorem, & ultimum pietatis officium præstare, luctuosum hoc funus frequentes comitari, Orationemque Funebrem præsentia sua condecorare Velint, ROGO ET INVITO.

A. SCHUL-

A. SCHULTENS

ORATIO FUNEBRIS

IN EXEQUIIS

PRINCIPIS THEOLOGI
CAMPEGII VITRINGA.

Avem Phœnicem celebrat vetustas, ubi fatalem & decretorium diem imminere sentit, suis in terris, perpetuo vere ridentibus, in nemoreque Solis, cui Sacra est, vitalem magis quam feralem sibi construere nidum, casia, nardo, cinnamo, amomo, balsamo, alioque multo aromate substratum atque contextum: superboque illo in rogo recumbentem, non facibus ac tædis funereis concremari, sed solaribus succendi & deflagrare radiis, atque inter lectissimos ac fragrantissimos odores finiri.

Quando autem unicus ſui generis memoratur ales hic, nulla Veneris colens commercia ac fœdera, ne nobiliſſima, & regalis Majeſtatis inſignibus præfulgens ſtirps, flammis hauſta deleatur, ſed medio e funere pulchior nitidiorque refloreſcat, tumulo ac monumento ſuo genitalem dicitur adfundere virtutem, ſeque ipſe exequiis ſuis parere ac reſeminare, patrio ex cinere buſtoque altero Phœnice emicante.

Hic poſtquam nectari & roribus ambroſiis innutritus adolevit, primumque juventæ florem induit, juſta funebria parenti perſoluturus, oſſa, exuvias, & cineres, unde vitalem traxit ſpiritum, multo thure ac myrrha involvit, unguentiſque delibutos, ore pio conglobat: volandique tentato impetu, ubi ſe parem oneri, parem ſenſit meatui, per longum capeſſendo, patrias ſuſcipiens reliquias, pedibuſque geſtans, ad aram perfert ſolis, ejuſque auguſta in æde

æde immortalitati dedicat inſcribitque.

Ecquid tuam hic, ſatoriſque tui, agnoſcis imaginem, CAMPEGI VITRINGA? Magni parentis non minor filius, nobilis alitis proles nobiliſſima, Phœnix Phœnice editus ac profeminatus!

Theologus ille cui vitam lucemque fers acceptum, inter orbis terrarum lumina non tantum ac decora, verum etiam miracula ſplenduit, Viroſque inter principes principem quendam tenuit tenebitque gradum. Huic Neſtoreos, ſi fatorum dediſſet indulgentia, huic Neſtoreos vox publica vovebat annos: & Phœnicis vivaciſſimam longævitatem, ſi non ſpe & expectatione, votis certe & deſideriis ardentiſſimis deſtinabat.

Sed haud licuit tam eſſe beatis. Terris ecce negatus & ereptus eſt ille magnus, ſanctus, excelſus, ſeculi contemtor, carnis domitor, mortis victor ac triumphator Spiritus, in cœlumque,

unde demissus ac delibatus erat, libero volatu remeavit: mortalis corpusculi exuviis ac cineribus, quos extulimus, gremioque terræ, tanquam sacratum Deo depositum, commendavimus, inter nos relictis.

Funeris tamen pompa hæc, & exequiarum solennitas, nihil exspirat fœtoris ac sordium, nullam mortalitatis redolet contagionem tabemque; sed, ex adverso, Immortalitatis suavissimos exhalat odores, atque velut ex aromatum sylva, cinnameoque nido ac rogo, duraturam longe lateque diffundit fragrantiam.

Hanc efflant, perque Academiam hanc, per Ecclesiam, per cunctas Religionis, Pietatis, ac Sapientiæ sedes, per universum, qua late patet, Orbem Christianum disseminant, virtutes quæ in Viro Dei mirificæ ac splendidissimæ eluxerunt; uberrimaque, quæ in eo effloruit, dotium celebrandarum seges.

Illa

Illa stupenda ingenii doctrinæque monumenta, quibus nomen suum albo immortalitatis inseruit! Illa ingentia merita, omnem prædicationem supergressa, quibus non tantum veritatis amantes, verum etiam ipsam sibi devinxit veritatem. Illi incredibiles labores, illæ antelucanæ & in multam noctem protractæ lucubrationes, quibus se ardens lucensque hæc lampas exhausit & consumsit.

Illæ Eruditionis vastissimæ & incomparabilis perennes opes, divitiæque inexhaustæ. Illa Eloquentiæ beatissima vena; ille nativus leporum ac suavitatum fons; ille dicendi nobilis ardensque impetus; illa docendi vis, gravitas, atque ubertas, quæ ex fœcundissimo pectore erumpebat, cœlestique nectare madido ex ore dimanabat. Illa cetera affluentissima dona bonaque Viri, quem natura, quem gratia finxerat ad honestatem, temperantiam, con-

 stan-

ſtantiam, fortitudinem, juſtitiam, gravitatem, magnitudinem animi, ad omnes, ut ſemel abſolvam, Virtutes, excelſum atque inſignem.

Hæc, hæc ſunt e Paradiſi amœniſſimis viridariis decerpta aromata, vernantiumque florum læti ac perennes honores, ex quibus ſibi placidiſſimum compoſuit cubile venerandus Senex, in quo ævi rerumque feſſus recumberet, ac ſomno veluti connivens obdormiret.

Non rogo huic funeſtas faces ſubdidit mortis, peccati aculeo obarmatæ & deſævientis, formidoloſa ac tyrannica potentia, ſed radiis ſolaribus Domini Jeſu, flammiſque amoris ejus combuſtus & conſumtus exſpiravit. Exſpiravit, inquam, ſed Phœnicis ad inſtar & exemplum, Te, Honoratiſſime Collega VITRINGA, ſui ſimillimum nobis relinquens CAMPEGIUM, virtutum paternarum ex aſſe hæredem, vivumque ac ſpirans ſimulacrum.

Tibi

Tibi ille genitalem, ut ſic dixerim, ingenii ſui vim, virtutem, ac fœcunditatem adſperſit & inſinuavit, celſitudinem & exaggerationem animi ſupera capeſſere ſoliti, & ad pulcherrima quæque, ac cœlo digna adſpirantis.

Te ille rore Scripturarum, & ſucco ambroſio enutrivit, ut morte obita in Te refectus ac reparatus, per Te ſpiraret, per Te vitam propagaret, Te maximum ſui pignus, & eminens atque expreſſum exemplum, ſeculis traderet ac commendaret.

Talem te cuncti ſuſpicimus ac veneramur: Talem te acerbiſſimi, quod impoſitum eſt vulneris, doloriſque altius inuſti, amplectimur ſolatium atque allevamentum. Quid ergo conſtantia tua, magni Parentis magne Fili! quid gravitas, quid animi magnitudo contremuit, quo minus juſta proſeminatori tuo exſolveres, ſolennibuſque funereis memoriam Ejus conſecrares? Quid non

mœrorem illum, qui Tibi linguam nunc vocemque includit, ardore pietatis consumsisti & discussisti? ne provincia multis nominibus gravissima, cujus Te vices, ex Collegii nostri ordine ac more, contingebant, in humeros hosce imbecillos devolveretur.

In Templo Æternitatis dedicandus est tuus Genitor. Beati Ejus Cineres unguentis delibuti pretiosissimis, odoraque thuris ac myrrhæ urna compositi, sublimiore quodam Laudationis cursu in Aram Solis Justitiæ perferendi & deponendi sunt, ut ab Eo, cui a teneris inde unguiculis sacratus fuit, cujus in Sanctuario primarium gessit Antistitem, cujus religiones castusque doctrina vitæque disciplina confirmavit, cujus cerimonias ac mysteria mirifice illustravit, cujus denique gloriam ac decus amplificavit, immortali vicissim honore condecoretur, Nominisque ac Famæ florentissimum splendidissimumque reportet præmium. Huic

Huic ego me imparem oneri, imparem ſentio volatui, per ampliſſimam paternarum laudum materiem, veluti vaſta per æquora ac ſpatia, emetiendo: qui Tuis demum Ingenii facultatibus ac copiis, Tuis Eruditionis opibus ac divitiis, Tuis Eloquentiæ nervis, atque ut ſic dicam grandioribus alis, corripi atque exhauriri potuiſſet.

Quando tamen tua, quando Venerandæ Matris tuæ, quando Senatus Academici, cum deſiderio votoque Veſtro conſpirantis, auctoritas, ferale hoc munus mihi injunctum ac demandatum voluit; imbecillitatem tenuitatemque meam, pietate in Nomen VITRINGANUM, affectuſque vehementia ac magnitudine ſarcire ac compenſare conabor. Vos Aud. Hum. ſublimi huic curſui ſeſe accingentem, eadem in deſideratiſſimum Vobis Nomen pietate atque obſervantia ſublevate: & quam benevolentiam ſibi dicturi impetus polliceri non

ſuſtinet, virtuti atque excellentiæ ejus, de quo dicendum eſt, donate.

Homini Chriſtiano, quem Spiritus gratiæ & gloriæ inſedit, imaginiſque Divinæ reſtauratum decus Cœleſti Familiæ inſeruit, generis, nominis, titulorumque inſignia & ornamenta, nihil admodum dignitatis ac venerationis conciliare valent. Ut enim luce ſolis offunditur & obſcuratur lumen lucernæ, regumque opulentæ gazæ teruncii acceſſionem aſpernantur, brevemque abſorbent cenſum; ſic omnis iſta rerum in corpore ſitarum vitrea felicitas, & ſplendor bracteatus, amplitudine ac majeſtate ſatus Divini obſcuratur & extinguitur. Stemma non inſpicit, nec plena fumoſis imaginibus atria pandit & explicat Philoſophia humana, multo minus Euangelica. Animus Deo dignus, ejuſque ſigillo impreſſus, nobilitat: atque ex quacunque naſcendi conditione, ad ſummum faſtigium ſubvehit, alta,

vir-

virtutibusque exaggerata indoles. Plausibilius quoque dixerim ac speciosius, Nominis sui decus condere, vel conditum jam ampliori lumine circumdare, quam alienæ famæ incumbere, radiisque non suis fulgere.

Patritæ avitæque laudis satis pulchrum tamen & honestum patrimonium Ven. Defuncto relictum fuit. Pater ejus HORATIUS VITRINGA Supremæ Frisiorum Curiæ a Secretis, & Scabini Leovardiensis honore spectabilis, prudentiæ, justitiæ, gravitatis, integritatis, solidæque pietatis laudibus ut vivus floruit, ita post fata etiam vivit, minoribusque suis ac posteritati prælucet.

Avus Paternus WIGERUS WIGERI, honesti ordinis locique civis, matrimonium tenuit pientissimæ fœminæ MARGARETÆ HORATII, quæ religionis nostræ vim sensumque vitalem hauserat a matre sua, defuncti Abavia, TANNEKIA HORATII, patriis Bra-

bantiæ ſedibus, fortuniſque haud contemnendis cum parentibus ſuis exturbata, in oraſque noſtras purioris cultus cauſa ejecta, quum tempeſtas deſæviret perſecutionis Hiſpanicæ.

Maternum genus requirenti offert ſe Ornatiſſima fæmina ALBERTINA De HAEN filia Viri integerrimi KEMPONIS De HAEN, inter honeſtioris ordinis miniſtros Supremæ Friſiorum Curiæ, qui ortus fuerat a KEMPONE RINICIO De HAEN Quæſtore Jurium ejuſdem Curiæ ſpectatiſſimo.

Abſolutum fæminei decoris exemplum ea præſtitit: domumque mariti quinque liberorum partu fundavit.

Melioris ſexus ſuſcepit quatuor. WIGERUM J. U. D. etiamnum ſuperantem. Mox CAMPEGIUM cujus exceſſum mœſti atratique lugemus. MARTINUM deinceps multa quoque cum laude ſua, familiæque ſuperſtitem,

ſupre-

ſupremæ Friſiorum Curiæ actuarium, atque Judicis Urbani apud Leovardienſes dignitate iterum conſpicuum. Poſtremo HORATIUM ærarii Sacri Leovardiæ Quæſtorem præmaturo fato extinctum. Noviſſime Filiam enixa ANNAM lucis uſuram, quam partui dederat, amiſit, tenellam prolem orbans matre pietatis & indulgentiæ pleniſſima, maritum jucundiſſima fortunarum torique ſocia.

Acerbiſſimum vulnus lenivit ad breve tempus ſecundis votis adſcita probatiſſima fœmina IDSKIA RAAVENS, cujus unica ſoboles FRANCISCA, collocata fuit Viro ſpectabili PIERIO TANIA nuper terris exemto, membro Senatus Urbani metropolis noſtræ, & magiſtratu quoque ædilitatis honeſtato.

Sed ut volucria ſunt mortalium gaudia, exiguo ſpatio ſecundum viduus, incumbens uni ſibi afflictæ familiæ onus magno animo ſuſcepit ſuſtinuitque.

Domi, quantum publica patiebantur munia, affixus, parvulorum suorum ætatem ipse fingere & conformare, manus & ora in literis pingendis sonandisque gubernare, salutaribus recentes testas odoribus imbuere, artium & scientiarum elementis, quod ipse humaniorum literarum expers non esset, impertire, semina præsertim inserere reverentiæ Divinæ, religionisque nostræ flexanimam virtutem, quam ipse combiberat, dies noctesque instillare.

Emicabat jam tum in tenello adhuc CAMPEGIO, optimi parentis deliciis, vis altæ, acris, & summa spirantis indolis, quæ ætatulæ captum longe supergrederetur: quod gaudium cumulatius reddidit singularis Dei gratia, puerulum hunc a primis inde unguiculis injecta velut manu sibi vindicantis, tamque suaviter ac potenter amori cultuique suo devincientis, ut *in omni puerili cœpto ac molimine Deum respiceret, Dei opem flexis geni-*

genibus imploraret; Dei erga ſe vias diligenter obſervaret, vitiiſque in ſemine extinguendis revellendiſque ſtudio haud fucato incumberet.

Nil mirum itaque ſi pectus tam bene natum, tam felici ſub cultura educatum, tam uberi denique Spiritus Sancti flumine irrigatum & inundatum, incredibili quadam celeritate ſtudiorum ſpatia emenſum eſt, in ſummoque Eruditionis culmine ſplendidum refulſit ſidus, quum alii adhuc intra carceres obhærent, vel in primo forte curriculo deſudant.

Longus hic ordo rerum mihi ſubnaſceretur, longæ texendæ forent ambages, ſi curſum, quem tenuit, multo præclariſſimum inde a primordiis repetere, atque evolvere ingrederer.

Amputo labores in ludo literario Urbis patriæ exhauſtos, laudiſque inſignia ac palmas condiſcipulis præreptas ſepono.

Circumcido exercitia Catechetica, quibus Theologicæ cognitionis felicissima & solidissima jecit fundamenta.

Memorasse in pręsentia satis habebo Doctiss. Rhombergium, qui scholas Leovardienses id tempestatis pręsidebat & moderabatur, erectam adolescentuli indolem, ingenii beatissimam venam, acerrimum judicium, velocitatem discendi, diligentiam indefessam, verecundiam denique & probitatem, summo semper verborum honore affecisse, ęqualibusque ejus in exemplum commendasse.

Extat Viri illius distichon, quo ardentem inflammavit, currentique faces & calcaria subdidit.

Effloresce scholæ sic o pars optima nostræ:
Ut fias patrii flosque decusque soli.

Jure meritissimo optimam scholę partem, ac Juventutis sibi creditæ florem delibatum prędicabat Rhombergius, qui non Lati-

Latinis tantum literis egregie jam tinctus erat, verum etiam quater & amplius Grecum N. T. textum privata enucleaverat industria, eumque sibi reddiderat familiarissimum. Rarum hoc & præclarum. Rarioris adhuc exempli, quod sub eodem rectore Rhombergio, qui Hebræa lingua vehementer delectabatur, tam sedulo in palæstra illa, studioque difficillimo, desudarit, ut ferulæ nondum subtractus, vetus Testamentum a capite ad calcem absque interprete potuerit explicare, ubi voces insolentiores, sensusve concisi & abrupti, tenebras non offunderent.

Ardens interim in Academica studia generosus adolescens, scholasticum pulverem excutit, ludisque Trivialibus valedicit Oratione solenni *de patientia Christiana.*

Actionem illam tanta sustinuit dignitate, tanta vocis gestuumque gratia condivit & temperavit, tanta animavit

vehementia dicendique ardore, ut auditores in admirationem defixerit ac ſtuporem, & nominatim Ven. Witſio, qui miniſtrum adhuc agebat Eccleſiæ Leovardienſis, lacrimas expreſſerit, indices atque teſtes gaudii; & amoris tenerrimi, quo hunc eximie ſibi charum Catechumenum ſemper fuerat complexus inſignis Theologus, divina adgubernante providentia in Franekeranam mox Academiam traductus, & muneri Theologiæ Profeſſoris, Verbique Divini Præconis admotus, ut cujus pueritiam finxerat, optimiſque cultibus imbuerat, ejuſdem adoleſcentiam altioribus diſciplinis ac præceptis corroboraret, in laudeſque ſuas ſuccreſcentem ſolidiore pabulo aleret ac confirmaret.

Annum ætatis ſextum & decimum impleverat Ven. defunctus, in lucem editus XVI. Maji A. C. MDCLIX. quum multis jam palmis commendatus, pulcherrimaque florens opinione, Academiam hanc

hanc patriam ingreditur, tam luculenter omni ſtudiorum paratu & copia præcultus, tamque divite ſcientiarum ſupellectile ſubornatus, præclare ut cum multis actum putaremus, ſi tam copioſi lautique ex Academiis demigrarent.

Hic Hebræi Græcique ſermonis recluſa jam adyta penetrare, intimoque in ſinu ac receſſu introſpicere geſtiens, ſe in diſciplinam tradidit Cl. *Joh. Terentii*, qui Linguam & Antiquitates Hebræas, & *Nic. Blancardi*, qui Græcam literaturam profitebatur: qui quidem aliquatenus lætiſſima ejus initia adjutarunt, in majuſque provexerunt, ceterum frigidiore ſua, & humilioribus ingeniis attemperata inſtitutione, non ſatis reſponderunt ardori vigorique animi ſupera capeſſentis, & ad ſummum in omni doctrina faſtigium inflammato impetu graſſantis.

Uberius Græca ejus ſtudia aluit atque enutrivit Cl. *Witſius*, qui quamvis

duplici munere diſtineretur, privatam tamen cariſſimo capiti exercitationem condicere non dubitavit in Xenophontis Cyropædiam, Græca ſcriptoris illius Nobiliſſimi in Latinum ſermonem converſa ſub examen revocans.

Suis tamen maxime viribus inſiſtens, ſuiſque opibus ac præſidiis ſuffultus, Græcos fontes celebrare noſter, celebrare Latinos, non primoribus eos labris deguſtans, neque curſim bibens, ſed lentis hauſtibus ſitim explens, atque ſevera lege proficiens: jam tum ex præſtantiſſimis quibuſque Scriptoribus excerpens, atque in adverſaria conjiciens, quæ deinde tam luculentur expromſit, atque in uſum publicum effudit.

Per vaſtiſſimum mox Hiſtoriarum & Chronologiæ campum vela dedit, ſuo quod dicitur Marte, vel ſua potius Minerva, facem prælucente Chronico Carionis, quod Cl. *Buſchius* Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſor, arthriticis doloribus

ribus præpediretur, quo minus operam ſuam Academicæ juventuti debita cum alacritate & aſſiduitate impenderet.

Philoſophiam denique percepit a *Joh. Wubbena*, ſub quo Logicæ Phyſicæque curſum abſolvit, tanto opere Viro illi Clariſſimo mirifico acumine ingenii ſeſe commendans, atque in diſputationibus velitationibuſque, quibus exerceri amabat, ceteris præcurrens,ut *ad Philoſophiam natum* teſtaretur: judicium teſtimoniumque præceptoris ſui fulciente & affirmante *Diſſertatione Philoſophica de Igne*, quam ſatis feliciter conſcripſit, ac non minus ſtrenue defendit.

Omnia hæc intra primi anni curriculum, & cancellos per ſane quam anguſtos, niſi quod virtus nullis ſe temporum anguſtiis, nullis legibus annalibus circumſcribi & includi patitur.

Theologiæ deinceps duos impendit annos ſub Viris Celeb. *Nic. Arnoldi*, *Herm. Witſio*, & *Joh. Marckio*,

Præſertim tamen ab ore mellifluo Witſii pependit, eique ſtudiorum moderatori potiſſimum adhæſit, captus cum politiſſimi atque eloquentiſſimi Viri eximiis in docendo dotibus, tum ſummo ejuſdem ac tenerrimo erga ſe affectu.

Subactus, jam inde a teneris, inſtitutionibus Catecheticis, crebriſque pietatis exercitiis, qua domeſticis, qua publicis, ingenti cum laude in Eccleſia Leovardienſi obitis, Theologiam nullo negotio imbibebat.

Magno præterea impetu ducebatur, ad Hebræas Rabbinicaſque literas ulterius excolendas, poſt deceſſum Cl. *Terentii* uſus magiſtro Judæo, cum quo Jarchii libros Commentarios, difficili, intricato, & Thalmudico ſtilo horridos, magnam partem permenſus eſt, viamque ſibi ad Rabbinorum expeditam nulliſque ſalebris interciſam lectionem emunivit.

Alios

Alios labores ſtrenuiſſimi & indefeſſi ſtudiorum cultoris, ac vere Muſarum alumni, altas atque intempeſtas noctes vigilantis, ut pectus omnigenæ eruditionis flumine ac lumine impleret, ſtudia ejus Mathematica & Aſtronomica ſub Cl. Ravio, Chronologicas & Hiſtoricas lucubrationes ſuis viribus exhauſtas, prudens ſcienſque prætervehor, ne in immenſum exſpatietur Oratio.

Silentio quoque involvenda mihi ſunt inſignia profectuum ſpecimina, Diſſertationes doctiſſimæ tres *de Origine Monachatus*, quas tertio curriculi Academici anno in publicam lucem emiſit, ſummoque cum applauſu præſidibus Viris Cl. Witſio, Arnoldo & Marckio defendit, tanta de ſe concitata ſpe & expectatione, ut publico teſtimonio declararit Cl. Witſius *Talem hunc* ſibi videri, *cui feſſus rerum lampada olim tradere poſſit*.

His aliiſque judiciis ac teſtimoniis or-

natus, majoremque in modum commendatus, Lugdunum petiit, incredibili flagrans cupiditate ſapientiam hauriendi ex ore magnorum ſplendidiſſimæ illius Academiæ Doctorum, quorum nomina in albo æternitatis ſunt. In *Frid. Spanhemio* ſtupuit dicendi flumen inexhauſtum. In *Chriſtoph. Wittichio* ſubtilitatem tenuiſſime elimatam. In *Steph. Monachio* diffuſiſſimam vaſtiſſimamque lectionem. Nemini interim obnoxius, & factiones ac ſtudia partium, quæ veritatis ac bonæ mentis peſtes ibi graſſabantur, execratus, omnium ſibi amorem atque exiſtimationem devinxit.

Anno hac nobili in palæſtra conſumto, ingentibuſque divitiis ac theſauris conſtructis, eruditionis ſuæ copiam & lucem in magnifico illo theatro admirabili plane ratione explicuit, in lucem editis tribus diſſertationibus de Argumento Pſalmi ſecundi, quarum tertia *Inauguralis* Doctoris Theologi honorem

ac

ac dignationem ei circumdedit, anno ætatis vigesimo, promotionem administrante Cl. *Hulsio.*

Hac insigni laurea redimitus ac præfulgens, Angliam Oxoniumque visesere ardebat, sed carissimi capitis desiderium haud ferebat Pater. Affulgebat præterea spes Cathedræ linguarum Orientalium in patria Academia obtinendæ

Sed quum res illa in nervum eruptura videretur, alium sibi cursum capessendum esse duxit, in quo eruditionem & pietatem suam exercere, atque ad publicam ædificationem exerere posset.

Inter Candidatos ergo Ministerii Sacri nomen professus, animum ad munus Ecclesiasticum adjecit. Sed placuit Divinæ providentiæ hac ipsa via spem, quæ decolasse videbatur, ad optatum exitum pervehere.

Quum enim, tum aliis in Oratoriis, tum in templo majore Leovardiensi in-

ſignes ſuas dotes, nativam eloquentiam, ſuavitatem gravitatemque dicendi, luculenter Illuſtribus proceribus, cunctæque civitati approbaſſet, concinente omnium propenſiſſima voluntate in capitale & excellentiſſimum ingenium, profeſſione Ordinaria Hebrææ Linguæ & Antiquitatum ſacrarum fuit cohoneſtatus, atque in hanc ampliſſimam ſedem honoris & virtutis evectus anno ſeculi ſuperioris LXXX. die 19. Auguſti, annum agens primum & vigeſimum.

Hic ego quid vobis memorem tralaticioque verborum honore celebrem, qualem ſe Academię præſtiterit virum, perſonamque ſibi impoſitam, quanta cum dignitate, gravitateque ſuſtinuerit?

Hujus rei non aliud luculentius dedero documentum, quam quod nondum exacto biennio dignum judicarint Illuſtres proceres cui Spartam mandarent Theologicam die 18. Julii anni LXXXII.

vaci-

vacivam discessu Celeb. Marckii Groningam evocati.

Provinciam illam ingressus Oratione Inaugurali *de Amore Veritatis*, alias semper copiosus, ardens, vehemens, & nobile quid ac magnificum spirans, sese ipse exsuperavit, atque eloquentiæ flumine dicam an fulmine celeberrimam panegyrin attonuit.

Accrevit decennio post nova dignitas, cum enim Cl. Perizonius lautissimis conditionibus expugnatus tandem, hinc in Leidense Athenæum traductus esset, Historiæ Sacræ Professio, luculenta cum præfatione honoris Viro in Historicis aç Chronologicis volutatissimo, atque ad miraculum usque subacto, decernitur ac demandatur 6. Maji anno XCIII.

Ex duplici hac statione, dum tanquam ex editissima specula lumen suum per Eruditum Orbem diffundit, ingentia Viri merita Ultrajectinos Academiæ & Civitatis proceres commoverunt, ut

eum ampliſſimo ſtipendio bis mille Carolinorum ad ſe invitarent, ſucceſſoremque Cl. Witzio Leidam tranſlato deſignarent. 22. Aug. An. XCXVIII.

Sufflaminata tunc quidem temporis vocatio illa, multumque dolentibus licet Ultrajectinis, regio nutu ac numine reſciſſa eſt, quod in Coccejanarum partium flagrantem cum maxime invidiam ab aulicis ſuſurronibus vocatus & implicitus eſſet Theologus, libertatis ſi quiſquam retinentiſſimus, factionumque omnium, ſtudiorumque fratres ſcindentium hoſtis internecivus.

Brevi tamen poſt, ſeculi hujus volventis anno ſecundo iiſdem, lautiſſimis ſane ac perhonorificis, conditionibus eadem renovata vocatio eſt; honoris cauſa ad conſenſionem, quam minus promptam ac paratam fore facile prævidebant, impetrandam, delegatis Ampliſſimo Dom. Velthuiſen, & Rev. Gercama, in Civitate & Eccleſia ibidem dig-

dignitate atque exiſtimatione florentiſſimis.

Sed ut ſuperiore illo ancipiti ac dubio caſu, prolixiſſimam erga ſe Procerum noſtrorum voluntatem, generoſamque munificentiam expertus erat, quum inſtabili ſede fortunæ ejus fluctuare viderentur: ſic viciſſim ipſis gratum generoſumque animum rependere non dubitavit, largiſſimoque illo honorario evinci ac deliniri non potuit, ad operam ſuam, tam enixe ac ſtudioſe ambitam, Trajectinis addicendam.

Hoc cordatiſſimum animi celſi & divitiarum contemtoris conſilium per accidit jucundum Academiæ Patriæque moderatoribus, idque copioſiſſimo atque honorificentiſſimo ſtipendio bis mille Florenorum, in perpetuum ei conſtituto, collaudarunt ac remunerati ſunt.

Potentioribus jam vinculis Patriæ amantiſſimæ religatus atque obſtrictus erat noſter, quam ut ullis illecebris blan-

dimentiſque honorum, ullis pecuniarum machinis atque tormentis, ullis præmiorum vel Attalicis conditionibus, e ſinu complexuque ejus revelli atque abduci poſſet. Non tamen tanti luminis atque ornamenti ſibi vindicandi, tantique ſplendoris in Academiam ſuam inſerendi atque infundendi ſpes ac cogitatio, deſiderio priſtina oblitterandi reſarciendique animata, Ultrajectinis deceſſit. Etenim menſe Septembris inſequente, miſit maximum illud & immortale Literarum decus, J. G. Grævius, ad Celeb. & Vener. Leuwenium, Profeſſorem ac Paſtorem Amſtelodamenſem, defuncti avunculum, magnificos munificoſque Civitatis Trajectinæ Proceres, communicato ſecum conſilio, agitare, atque deliberatum habere, quo Viro flagrantiſſimis votis efflagitato, omnes ad ſe commigrandi ſcrupulos eximerent, omnes amputarent moras, non tantum honeſtiſſimo atque ampliſſimo

illo

illo ſtipendio eum decorare, quod jam bis ei conſtitutum & oblatum erat, verum etiam extraordinarium illi honorem habere, octo millium florenorum, confectis debiti publici tabulis, quibus quatuor annorum æra, nomine vocationis deſtitutæ, ipſi exſolvenda ſuſciperent ac profiterentur.

Specioſi imaginem triumphi offerebat noviſſima hæc conditio, neque ulla illuſtrior gratioſiorve cauſa, ulla validior machina, ulla blandior vis, excogitari & admoveri potuiſſet ad Viri pectus labefactandum, atque a ſuſcepta ſententia demovendum. Vicit tamen robur animi in celſo ac ſolido locati, vicit eximia ac pœne ſingularis in Patriam pietas, ſeque curatiſſimis ſollicitationibus, exquiſitiſſimis præmiis, & invitamentis honorificentiſſimis, ſine ſuperbia tamen atque faſtidio, inexpugnabilem præbuit. Atque hæc in cives caritas, ac perpetua voluntas, quam

altis niteretur radicibus, tum vel maxime teſtatum dedit, & ad nominis ſui memoriam ſempiternam in omnium oculis mentibuſque defixit, quum ne duplici quidem delata provincia, Profeſſoris Theologi, Eccleſiæque Paſtoris, dimidiam urbanæ ſtationis ac vigiliæ curam obituri, cum ære annuo bis mille & octingentorum florenorum, tentari ac permoveri potuit, ad generoſiſſimis, ſuique deſiderio flagrantiſſimis Ultrajectinis ſeſe dedendum.

Fortunatam enimvero ter & amplius Academiam hanc, tam valido ſibi fulcro præſidioque in perpetuum vindicato! Subduci illa ſibi atque extorqueri ſæpe doluit firmamenta ſtabilitatis, & ornamenta dignitatis ſuæ. Habebat interim, hoc ſuffulta columine, quo vulnera ac detrimenta ſibi impoſita, facile ſolaretur ac ſuſtentaret. Magni hujus Doctoris innixa viribus, ejuſque humeris recumbens, nunquam ſibi labare, nunquam nuta-

nutare visa est, inclinationesque ac conversiones rerum, eo stante ac durante, secura semper contemsit.

Hoc ut non gratiæ & ambitioni datum, sed ex vero judicio pronunciatum esse appareat, majus nobis opus movendum est, atque oratio nostra arctioribus adhuc cancellis constricta & & præpedita, educenda est in mirifica ac pœne singularia viri summi dona ac bona, quorum radiis ac splendore Patriam, Academiam, Ecclesiam, universum, qua late patet, Orbem Eruditum complevit, & sideris instar divinitus terris donati collustravit; ut in hac uberrima atque inexhausta materia, in hoc lætissimo campo, omni vinculo exsoluta, ardorique suo permissa, spatietur, exultet, triumphet.

Hic vero oculos statim nostros advertunt, admirationeque perfundunt, omni ære perenniora scripta, & stupenda Eruditionis solidissimæ ac diffusissimæ

monumenta, maximi ingenii luminibus interlita & diſtincta, quorum cum ipſa demum Veritate, & luce a Deo profecta, deflorefcet atque intermorietur exiſtimatio.

Nil magni eſt, ſe ipſo plenum, & carbones ſuos pro theſauro mirantem, inter ſcriptores nomen ſuum profiteri, & ignobilitatem obſcuritatemque ſuam, arrepto temere calamo, illuſtrium virorum nobilitati ac ſplendori inſerere. Seculum jam eſt, & mos pervagatus, moleſtiſſimam librorum molem, ſub qua literæ defeſſæ procumbunt, & vexata vix reſpirat veritas, novis uſque & uſque acceſſionibus, abortionibus dicere debui, exſtruere & adaggerare.

Hi male fauſti & inſubidi fœtus, ut illegitimo partu proruperunt & effuſi ſunt, ſic brevi temporis ſpatio defluunt, evileſcunt, & ſponte ſua extabeſcunt. Sed magnum eſt, atque adeo magnificentiſſimum, ea condere opera, ea ſui pig-

pignora ac monumenta ad posteritatem transmittere, quæ ætatem ferre possint, quorumque decus & tanquam pondus, occulto velut arbor ævo, cum annis increscat, altissimisque radicibus irroboretur.

Ad hoc literatæ gloriæ fastigium, felici peræque ac numeroso fœcundi pectoris conceptu fœtuque, evectus est noster, quæque Ecclesiæ in gremio deposuit scientiæ suæ miracula, omnibus seculis vigebunt virebuntque, & ipsa temporum memoria alentur, succrescent, atque corroborabuntur.

Forte tamen non tam facile culmen hoc tetigisset, certe ad illud non tam celeriter adspirasset, seseque extulisset, nisi adolescentia ejus, virtute ætatem supergressa quidem illa, nondum tamen ad plenum matura, stimulis nonnullis acrius admonita, ad scribendi limam, & severam circumspectionem profecisset. Nempe amputandum est aliquid lætæ &

erectæ indoli, quæ ingenii laudibus efflorescit, & recentibus studiis flagrans in famam ac celebritatem prominet; ut generosæ vitis luxuries, & ambitiosior ubertas, ferro castigatur, ne sarmentis & flagellis evagantibus silvescat.

Inter auspicia statim professionis, ardens desiderio Literas demerendi, & Mæcenatibus sese suis approbandi, anno ætatis vigesimo & secundo, qui seculi superioris erat tertius & octogesimus, in lucem emiserat *Observationum sacrarum* librum primum. Hunc e vestigio subsecutus erat alter, anno quinto & octogesimo, *Archisynagogi* titulo inscriptus, cujus bonam magnamque partem in exercitiis publicis de *Synagoga ejusque Officialibus* disputandam & discutiendam posuerat. Materia illa intacta ferme, & multis salebris intercisa, multis circumsepta tenebris, hallucinationes, a quibus ne Lyncei quidem oculi hic immunem præstent, apud

æquos

æquos rerum arbitros facile excuſabat. A juvene etiam, qui nondum ævi ſummum florem pervaſerat, deſiderari haud poterat illud defæcatum, excoctum, ſolidum, robuſtum, ad unguemque factum & perpolitum, quod tardum admodum noctium vigilatarum, hauſtæque lucernarum fuliginis, præmium eſt atque honeſtamentum. Denique ſi quæ labes & maculæ hic illic hærerent, multis magniſque virtutibus, & omnigenæ eruditionis copia ac lumine cumulatim redimebantur, & ut ſic dixerim, expiabantur. Quod tamen fulgore ſuo nonnullos ureret, & creſcente indies florentiſſima opinione, aliorum famam prægravare atque inumbrare videretur, erant, qui vel luci & palam, vel furtim & in ſinu lætarentur, aliquid e manibus Ejus exiiſſe, quod aliqua ex parte carpi, & invidioſe traduci poſſet. Sed tanti fuit noſtro, exiguas ſtyli pœnas dediſſe, ſub ictuque adverſarii ſtetiſſe,

ut levicula ſanguinis miſſione firmam ſibi & conſtantem ſalubritatem compararet, latuſque in poſterum circumferret, adverſus omnem hoſtilem manum ac petitionem probe tectum ac communitum. Tanti fuit Antagoniſtæ, cuncta, ut ſit, exaſperantis, criminationibus & cavillis exercitum fuiſſe, ut ex igne illo, quem adverſus eum concepta jam ante, in altoque mentis repoſita ſimultas conflaverat, cuique materia, & nutrimentum aliunde ſuggerebatur, nitidior ſolidiorque emicaret: paleis, ſtipulis, ligniſque conſumtis, argenti, auri, gemmarumque duratura pretia deinceps expromturus, atque Fundamento Eccleſiæ ſuperſtructurus. Alium quoque inſignem fructum ex congreſſu hoc reportavit, palma ipſa ac victoria optabiliorem, quamvis haudquaquam impar ſudaverit prælium, ſed æquis utrimque manibus, ac dubio Marte diſceſſum ſit, quod nullo tandem

neque

neque modo, neque modestia lacessitus ab acriore adversario, ejusque non sale tantum adspersus, verum etiam felle persusus, non in consimilem amarulentiam exarserit, sed memor nominis Christiani, memor personæ sibi impositæ, memor virtutis, cujus in vigilia ac custodia se collocatum intelligebat, injuriis sese præstiterit invulnerabilem, telaque in se contorta singulari gravitate ac constantia velut dearmarit. Pulchre scilicet exploratum habebat, nihil gratius accidere posse internecivo Veritatis perduelli, bellorum faci ac tubæ, quam ubi specioso sub obtentu ac velamento religionis,.pietatis, fidei, atque officii, nobile Antistitum par commissum in arenam descendunt, atque gladiatoria in se animo viam affectant: nulloque jucundiore spectaculo maligni spiritus, tanquam lanistæ, oculos pasci, quam ubi a fratribus, gliscente ira, in mutua sævitur famæ ac vitæ vulnera, &

largiter ſanguinis utrimque edito, largiter doloris & acerbitatis inuſto, alternis ad poſtremum ictibus procumbitur.

Bonum proinde factum, quod æquanimitate ac ſapientia Defuncti, de *Decemviris* Synagogę *Otioſis* negotioſa ſane, atque odioſa digladiatio conſederit, & doloſis licet illinc ſub cineribus, fuerit conſopita: quæ doctiſſimorum, & in rebus Hebraicis pervolutatorum hominum elaboratę lucubrationes, ad uberiorem fructum, tum ſuum, tum publicum, redundaſſent, ſi omne partium ſtudium, & cupiditatem, male fidam veritatis magiſtram ac patronam, procul habere potuiſſent.

Circa idem hocce tempus, annum nempe ſeptimum & octogeſimum elapſi ſeculi, lingua patria, quo ad cives quoque ſuos Latinarum literarum expertes, fructus & utilitas dimanaret, elegantiſſimo Eruditionis paratu ac nitore,

re, judicio publico expoſuit & commiſit meditationes ſuas exquiſitas, probe coctas, ſolidas, & non minore ſagacitate inventas, quam induſtria digeſtas, *de Templo Ezechielis*, duobus voluminibus comprehenſas.

Hæ partim ſuperiori iſti turbæ faces ſubjecerunt, partim novam illi invidiam conflarunt, apud eos etiam, quorum ſecundiſſima adhuc aura ac gratia erat ſubvectus. In his Villalpandi præclara perſequens veſtigia, & quibus acutiſſimus ille ac ſolertiſſimus abſtruſioris fabricæ explanator obhæſerat, feliciter expediens, ſuoque ex penu multo etiam majus obſcuriſſimo negotio lumen infundens, demonſtrandum evincendumque ſuſceperat, celebratiſſimum illud Templum Ezechielis, quod in poſtremo ejus vaticinio omnibus ſuis numeris ac partibus accuratiſſime delineatur, ad imaginem & exemplum Templi Salomonii eſſe informatum, & magnum

justumque instar præhibuisse. ad quod novum Sanctuarium, ex cineribus & parietinis suis resuscitandum aliquando, instaurari & resurgere haberet.

Variis ex fontibus, quos hic recludere longum foret, qua Judæis, qua Christianis adhæsit, ædificium hoc tota regione, totoque cœlo, a Salomonis & Zerubabelis substructionibus diffidere; Judæis quidem ad tertii Templi vanissimas spes Oraculum hoc trahentibus, Christianis autem, nisi quibus veteris nonnihil fermenti hic subrepsit, in solo mystico ac spirituali sensu oculos mentesque defigentibus.

Arcanam illam vim & amplitudinem neutiquam hinc aspernatus est, & repudiatum ivit noster: speciosissime tantum disputavit, literam haud esse excludendam, atque peracute egregieque ostendit, nihil impedimento esse, quo minus primum illustris hujus visionis complementum in ędificatione

tione Zerubabelica & Herodiana conſtituatur.

Laudabilis utique conatus, quique onerari haud ſane merebat, quum graviſſima hoc pacto Judæorum cauſæ injiciatur ſecuris, novoque hoc gladio penitus juguletur. Quid ergo hic mali ſeminis ſerpſit, plauſibuſque digniſſimo labori maculam affricare, & moleſtiam creare ſtuduit? Ille inteſtinæ ſeditionis fomes, illud domeſtici incendii flabellum, factio, & dedita, addicta, obſtricta ſuis partibus ſententiæ ſemel hauſtæ obſtinatio.

Crimini dabatur, quod vel latum unguem a Magni Cocceji placitis ac decretis deflectere ſuſtinuiſſet, & in eo, quem ut obnoxium hiſce ſtudiis, ac ſacramento quaſi illigatum erant complexi, honeſtam libertatem, dominandi cupiditatem interpretabantur, & ſobriam, ac prudenter temperatam diſſenſionem, faſtum ſpiritumque, e-

N quis,

quis, viris, refutandum, retundendum.

Non magis tamen a Coccejo, quam a pervulgata, atque utriusque partis calculo adfirmata opinatione discesserat, neque hæc scriptio ullo pacto Coccejanismi latus, multo minus jugulum appetebat. Sed nimirum adversus Coccejum destrictum loquebantur calamum, quod cum summo hoc interprete, cujus præcipua in hoc argumentum cura & diligentia celebrabatur, pressius pedem conferre, in complexumque venire necesse habuisset. Necesse habuisset, inquam, non enim in Eum incurrerat, sed inciderat: cum quo nisi manum propius conseruisset, Principis Viri dignitatem fastidioso silentio minuisse & detrivisse videri potuisset, cujus nunc, ex adverso, decus & nomen, atque adeo cineres atque ossa ipsa, quibus a multorum iniquitate & nimio calore minus parcitur, æquissimo & liberalissimo

mo diffidendi ſpecimine ſibi obſtrinxiſſe cenſeri debet, quippe qui non tantum regionibus officii & reverentiæ, Viri Manibus debitæ, ſeſe religioſe continuerit, verum etiam laudi atque honori Ejus impenſius, ac generoſius faviſſe deprehendatur.

Superſedere proinde, ſalvo officio, integraque pietate, potuiſſet Vir nobiliſſimus & Spectatiſſimus Joh. Henr. Coccejus, a paternæ ſententiæ vindiciis, operoſius, poſt longam ſatis moram & expectationem, ſuſceptis, quibus mox noſter anno quinto & nonageſimo ſuas repoſuit vindicias, generoſum illud honeſtum alto pectori incoctum, & Vitringanam indolem, hoc eſt, æquitatem & liberalitatem, magnitudine animi ac gravitate conditam, ad vivum ſpirantes; & inſigne documentum præbentes, qua ratione ac via provideri poſſit ne lites ex litibus ſerantur, & una ſo-

la refponfione litigatorem abfolvere, feque tricis ac moleftiis explicare detur.

Velitatio hæc fuit, & levis armaturæ coitio, uno pedatu commiffa, uno diremta ac decreta. Jam ante, ut juftum piumque, fic grave ac lentum duellum, Fidei caftæ & intemeratæ fortiffimum vindicem colliferat cum collega Theologo, qui in facratiffimo Triadis myfterio, & Filii arcana rationique inacceffa generatione, ut minora nunc circumcidam, acumini fuo indulgens, nova coquebat confilia, & quæ a longo conceperat, in finuque foverat, anno admodum nono & octogefimo feculi fuperioris parturibat.

Debet vigilantiæ, debet fortitudini Vitringanæ Ecclefia, quod tunc tempeftatis, Illuftrium Procerum auctoritate, virtute, ac providentia præmoderante, exoriens & profpectans malum in ipfis ferme cunabulis fuerit compref-

preſſum: utinam ad veſtigia fortiſſime impreſſa ac præfixa, deinceps oppreſſum, extinctum, fundituſque deletum fuiſſet.

Sed ne inteſtina vulnera refricemus, ſilentio involutis quæ de *Generatione Filii* ultro citroque a pari Theologorum haud male compoſito agitata, & literis etiam conſignata ſunt, prætervecti jam ſcopulos, cæciſque e vadis emerſi, ſecundiorem curſum teneamus, ſcriptaque Viri certaminis ac ſimultatum vacua, & perenni ac conteſtata comprobatione florentia proſequamur.

In domeſticę diſciplinę uſum concinnavit *Aphoriſmos*, doctrinam Religionis noſtræ nervoſa & eleganti ſumma complectentes. Lucem primitus adſpexerunt anno nonageſimo, & quinquies, ni fallor, prælum exercuerunt, adjecta noviſſimæ editioni delineatione Theologiæ controverſioſæ. Transfuſi etiam ſunt in linguam Belgicam, & Delphis

Batavorum evulgati, ab Euangelii ibidem adminiſtro, Viro ſumme Reverendo, Joh. Coſtero, qui expleta mortalitate, qua facundo ore, qua ſcriptis victuris, memoriam ſui poſteris commendavit. Privatis quoque inſtitutionibus compoſuit *Hypotypoſin Hiſtoriæ & Chronologiæ Sacræ*, a mundi conditu, ad finem uſque ſeculi primi æræ Chriſtianę: adjecto *Doctrinæ Propheticæ Typo*. In his non tyrones tantum, ſed & veterani, invenient, quod obſcuriſſimis in rebus facem præluceat: hiſceque haud levidenſibus ſane munuſculis, ſuum publicitus ſtat ſtabitque pretium.

Directius tamen egregium publicum amplectitur, ejuſque commoda auget & ornat ardui molimenti opus *de Synagoga Vetere*, magno & ad laborem invicto animo exantlatum anno ſexto & nonageſimo. Tribus id contextum libris, Judaicarum Synagogarum originem, fabricam, cultum, paratum,

præ-

præſides, miniſtros, ſacra, ac ceremonias omnes exequitur, ad earumque exemplum Regimen ac Miniſterium Eccleſiæ Chriſtianæ informatum & deſcriptum eſſe demonſtrat. Exiguum, quo circumſcripti ſumus, curriculum, non patitur nos curam hanc juſto verborum honore afficere, in laudeſque ac dotes operis, doctrinæ atque elegantiæ prælauto inſtrumento adornati, vela dare.

Norunt, quorum aures hiſce in ſacris non plane peregrinantur, in lucem hic ac diem eſſe protracta, quæ plurima adhuc nocte & caligine fuerant circumfuſa; eoſque literaturæ Rabbinicæ fontes hic eſſe recluſos, eos Antiquitatis excuſſos receſſus, eos exhauſtos ſinus, eas effuſas & congeſtas opes, quæ principis hac in palæſtra Viri nobilitatem noſtra circumdent, ejuſque famam inter Buxtorfios, Seldenos, Ligtfotos alioſque harum literarum Heroas ſacrent.

Non minorem ei celebritatem pepe-

rerunt *Observationum Sacrarum Libri sex*, qui subsecivis horis nati, diversis quoque temporibus exierunt, atque tanto opere placuerunt, tam cupideque semper distracti sunt, ut sæpissime recusi, atque nuper admodum recentati, denuo sub prælo sudent.

Quid dicam de pulcherrimo illo & apparatissimo *Commentario in Apocalypsin*, quod, ut Phidiæ signum, simul adspectum, simul probatum est, & quasi illa magni artificis Minerva, arcem occupat? Ad Johannis ænigmata evolvenda qui animum appellunt, multis, non hebeti corde præditis, videntur in mare profundum & immensum, scopulis cotibusque infestum, ingredi; fragilique cymba æstuoso fretui ac fluctui sese committere, ubi si Charybdi haud fueris deprensus, Scylla saltem elidaris. Et sane laceræ plurimorum puppes, & fractæ tabulæ loquuntur, quam periculosa hic sit, atque infidæ plena aleę naviga-

vigatio: perpaucique eorum, qui pelagus hoc currere aggressi sunt, exitum aliquem ac portum capere potuerunt. Maximi proinde ac gravissimi Scripturarum interpretes laudi atque existimationi suæ nihil decessurum esse arbitrati sunt, si cetera verbi divini spatia permensi, ab hoc sese cursu revocarent, atque in tot naufragiis nobilitatum campum se immittere non sustinerent. Horum religiosam sobrietatem & circumspectionem ut non damnaverim, ita magis tamen illorum comprobaverim generosum impetum, & animi ad ardua consurgentis ardorem, quos non illa rerum abstrusissimarum immensitas, & quædam quasi vastitas, non confusa ac remista caligine lux, non interceptus tenebris dies, non ex obscuro lucentia, aut ignota penitus sidera, non mysteriorum altissimi gurgites vorticesque, conterrent & infringunt, quo minus doctrinæ atque ingenii sui vires hac

profundiſſima in materia periclitentur, atque aura favente, benignoque ſpiritus afflatu vela pandant; modo curſum moderetur, ad gubernaculumque ſedeat, judicium in prophetica palæſtra a longo ſubactum, non ex alieno jecore ſapiens, nulli parti, nulli ſtudio obnoxium, & libera integraque lance decreta ſua diſpenſans atque adminiſtrans: aſſideat etiam illa temporum teſtis, rerum geſtarum nuncia, veritatis fax, memoriæque & vetuſtatis lumen ac ſpeculum, Hiſtoria, qua longe lateque funditur, & Orbis Eccleſiæque fata gremio ſuo complectitur:. præſideat denique, & pervigili cura excubet ſacro Numinis horrore perfuſa, tenuitatiſque ſuæ ſenſu probe imbuta modeſtia, quæ Cœlo affixis oculis, ex eodem Fonte lucem derivet, unde cuncta oracula dimanarunt.

Univerſa hæc cumulatiſſime explevit noſter, atque omnibus hiſce præſidiis & or-

& ornamentis abunde præmunitus; incredibili ac singulari quadam felicitate Oceanum hunc navigavit, atque tum ipse densissimas nebulas, ac noctem caliginosam, ad lucidam Historiarum lampadem evicit, & discussit; tum aliis quoque, velut ex Pharo quadam, & nocturnis ignibus lucente turri, lumen ad cursus quam tutissime regendos extulit: ut adeo nihil falsæ laudis nomini Vitringano sim affricturus, neque honori ejus velificaturus, si eum doctrinæ propheticæ paratu opulento, si omnis memoriæ divite ac copiosa supellectile, si judicii gravitate ac libertate, si profunda sacrorum reverentia, & casta in Deum, in alios, in se, verecundia, nemini secundum, cunctis, si veras mittere licet voces, aut nostri hoc judicii esse possit, præstabiliorem celebravero.

Celsiore adhuc loco graduque colloco immortale illud *in Jesaiam* monumentum, opere magnifico conditum,

perennibusque literis incisum velut, ac sempiternæ gloriæ dedicatum. Quicquid ab ingenio humano proficisci potest, huc congestum est & effusum. Exsplendent in eo geminæ plane virtutes ac dotes, per quas ivimus modo in commentario ad Apocalypsin, quam tanquam prælusionem ac præcursionem spissior hæc & majoris molis commentatio excepit, nisi quod multo hic expressius atque eminentius se præbeant conspiciendas.

Sæpe mihi tacitis cogitationibus animum volutavit Esaias, qui supra cunctos Hebræorum vates cœlesti quadam Majestate & grandiloquentia caput extollit, & nunc infinita aura levatus, altissimos nubium tractus scandit, nunc torrentis ad instar, quem supra ripas largi imbres aluerunt, ore profundo fervet, immensusque fertur, qualem quantumque esse oporteret Virum Dei, qui tantam orationis vim ac vehementiam,

tiam, tantam ſenſuum altitudinem ac ſublimitatem, tantam ſapientiæ Divinæ ubertatem ac gravitatem, tantam denique fatorum admirabilium vaticinam ſeriem, & involutam obſcuritatem, non modo ſuſpicere & intueri, verum etiam capere, ſuſtinere, atque in Eccleſiæ gaudium ac ſolatium evolvere poſſet: quum interea fingenti mihi formantique perfecti, omnibuſque numeris abſoluti, interpretis exemplum, ne voto quidem concipere & informare ſuccurrit conſimilem Huic, quem non inter maximos, ſed abſque ulla tergiverſatione, omnis memoriæ maximum, publica vox concelebrat. Enituit aliquis eorum, qui manum prophetæ huic admoliti ſunt, in litera declaranda: at jacuit & obſolevit in myſtico ac ſpirituali campo. Honeſtavit alium arcanæ potentiæ ſubtilior veſtigatio: at non & litera ſubtiliſſime elimata, juſtiſque finibus circumſcripta decoravit. Excelluit item a-

liquis in ſcena prophetica luculenter inſtruenda, ſuiſque coloribus adornanda: at ſudavit hæſitque in complemento demonſtrando, oleumque ac operam luſiſſe viſus eſt. Lecta membra, & has illaſve partes multo lumine affecerunt multi: at univerſum vaticiniorum corpus, late patens ac diffuſum, in omni ſuo ambitu ac complexione exequi, idoneaque luce perfundere non valuerunt. Poſtremo nemo unus inventus eſt, cujus hic ductus & auſpicium, cujus conſilium, virtus, felicitas, æquabili tenore a carceribus ad calcem decurrerit, & nullis offenſionibus læſa, nullo defectuum confinio imminuta atque obſcurata fuerit. Extitiſti tandem Tu, Campegi Vitringa! divinoque nobis munere affulſiſti, in quem omnia excellentiſſimi interpretis bona confluerent ac conſpirarent, quique ſparſas multorum virtutes, mirifico quodam omnis laudis gloriæque concentu, u-

num

num in pectus congregares, & felicissima copula in splendidum hunc, omnemque prædicationem supergressum laborem colligares.

Benigna, omnibusque laudationis argumentis atque ornamentis redundans materies, nescio quid caloris & alacritatis insinuat, animumque ad maximi Commentatoris amplissima in Esaiam merita fusius & distinctius pandenda inflammat. Sed ipsa illa quæ cursum invitat evocatque argumenti benignitas, & inexhausta ubertas, impetum in quem proni pendemus, revocat atque reflectit. Convertimur itaque ad exiguæ quidem molis, sed ponderis atque emolumenti multo gravissimi scriptionem, *Commentationem de Vita Spirituali, ejusque affectionibus*, seu *Typum Theologiæ Practicæ*, anno sexto decimo seculi nostri provulgatum, & augendis alendisque publicis commodis luci donatum, postquam privata æmulantium sese cœ-

tuum ſtudia per aliquot viginti annos enutriviſſet. Libellus dignus ſane qui in oculis, manibus, ſinu, atque adeo medullis ipſis ac viſceribus habitet, & circumgeſtetur; quique tam avide exceptus & direptus eſt, ut quatuor jam verſiones ejus proceſſerint, Belgica, Germanica, Gallica, atque noviſſime, ut nuper inauditum nobis eſt, Pannonica.

Id tempeſtatis emiſſa quoque eſt *Exegeſis in Parabolas Euangelicas*, a Doctiſſimo & Venerando Viro, J. Outreinio, Paſtore nuper Amſtelodamenſi, in Belgicum ſermonem converſa, & annotationibus quibuſdam atque additamentis ſuo e penu illuſtrata. Meditationes illas, domeſtica acroaſi traditas olim ſtudioſæ juventuti, ſepoſuerat Cl. Defunctus, & quod ſubitariæ propemodum atque illaboratæ proveniſſent, ut ſui haudquaquam mirator erat, ſilentio & tenebris damnaverat; & crebro licet com-

compellatus, editionem obfirmatius abnuerat. Habet ergo, in longa meritorum ſerie, numeroſaque gloria, quod & hoc nomine, publico imputet laborioſiſſimus Outreinius, qui theſaurum hunc ſpiritualis ſapientiæ, non intra parietes ultra obliteſcere paſſus ſit, ſed uſum fructumque ejus communem, reluctanti quodammodo amico extorſerit.

Agmen claudent *Animadverſiones ad Methodum Homiliarum Eccleſiaſticarum rite inſtituendarum*, anno ſuperiore publici juris redditæ, quum jam ſtudioſorum manibus multum diuque contritæ eſſent. Cygnea hæc cantio fuit fideliſſimi Jeſu Chriſti miniſtri, in ſtativo non tantum Academiæ præſidio, verum etiam Eccleſiæ univerſæ cuſtodia vigiliaque ſeſe conſumentis, & jamjam extremum ſpiritum edituri: eſtque quædam veluti ſuprema voluntas, qua ſapientiſſima conſilia & præcepta, quæ diſcipli-

næ ſuæ practicæ alumnis continuo inſtillarat, de vera, ſolida, ſucci, vitæ, ac ſpiritus plena ratione verbum Dei pro concione ſecandi ac diſpenſandi, moribunda voce ac manu affigere conatus eſt animis omnium eorum, quibus gregis Dominici paſcendi, atque ad vivas aquarum ſcatebras prominandi cura incumbit.

In animo tamen deſtinatum adhuc fixumque habuerat, non ante longinqui laboris portum ac quietem capere, quam noviſſimo virium ſuarum experimento, vel dicam documento, edito in Zacharia vate, altiſſimæ ſane mentis illo, & vibrantibus theatris oculos animoſque rapiente. Sed aliter viſum fuit Supremo Arbitro, cujus ego nutum numenque deveneror, ut quod exhauſto largis ſudoribus Patri remiſit condonavitque opus, aliquatenus jam affectum, id, cum aliis compluribus, quibus ſuſtentandis potens pollenſque

eſt,

eſt, a vigente cum maxime & virente Filio, Vitringani nominis digno magnoque Statore, profligari, perficique velit: ut quod ad tempus morte interceptum eſt, ingenti cum fœnore in ſinum Eccleſiæ redeat aliquando, atque redundet.

Hic vero res ipſa & ratio me commonet, ut quem publica hactenus in luce agentem, & Profeſſoris perſona indutum ob oculos propoſui; privatum quoque, & maritum, & patrem familias præbeam inſpiciendum. Stabilem lautamque fortunarum ſedem nactus, in primo adhuc ætatis flore ac honore, altero Stationis anno, qui erat primus & octogeſimus ſeculi præcedentis, vitæ thorique jucundam ſociam circumſpexit, eamque Divinæ manus ductu atque auſpicio, rebus ſuper vota fluentibus, adeptus eſt, abſolutum decoris matronalis ſpecimen, & omnibus ornamentis ſexum ferme egreſſam, WIL-

HELMINAM HELLIAM, quæ quanto honore ex domeſtica ſuorum dignitate afficitur, non minus illis decoris ac laudis ex ſuis virtutibus reficit ac refundit. Patrem ea habuit Virum ſumme Venerandum SIMONEM HELLIUM, apud Harlemenſes jam tum Eccleſiaſtem Seniorem, ſpectabili familia oriundum, & dotium ſplendore, gravitate morum, ac meritorum pondere præcellentem. Nullum fœderis matrimonialis ſanctius ac potentius vinculum eſt, quam quod ſimilitudine indolis contractum eſt, & virtute ac pietate in dies arctius arctiuſque adſtringitur. Concordia hac, quam Spiritus gratiæ inſevit, atque enutrit, non tam conſociantur animi, quam coaleſcunt ac veluti concreſcunt. Non conſpirant tantum caſtiſſimo hoc igne contactæ atque inflammatæ voluntates, verum etiam conflantur pœne ac conſolidantur. Hoc felicitatis terrenæ faſtigium eſt, atque inter fluctus hoſce ac mor-

mortalia, promulſidem præbet immortalitatis. Beatum enim vero Campegium noſtrum, quem rariſſima hæc ſors turbæ exemit, & albæ gallinæ filiis inſeruit: ſuccubuiſſet haud dubie calamitatibus ac procellis, quibus per vitam conflictatus fuit, niſi graviſſimę matronę firmitas ſimul ac ſuavitas Eum ſuſtentaſſet: neque tam diu male firmo ac cauſſario vaſculo oneri ſuffeciſſet, niſi uxorio allevamento identidem recreatus, & renovatus fuiſſet. Habet & hoc titulo, quo acerbitatem vulneris ſui leniat ac ſoletur, triſti deſiderio contabeſcens Vidua, quod ipſa quoque in gratiſſima ſeculorum memoria, tanquam in læta luce verſabitur, quæ Divinitus abhibita ſit, ad tanti Viri ac Doctoris vigorem eo ætatis provehendum, quo ne votis quidem unquam, ob infirmitatum catenatam ſeriem, & corpuſculi exilem tramam, adſpirarat. Ex optima hac conjuge

quinque in univerſum liberos tulit, præſtantioris ſexus quatuor, SIMONEM, HORATIOS duos, & CAMPEGIUM; debilioris unam JOHANNAM MARGARITAM. Prior HORATIUS, ſecundo partu editus, in ortu ipſo ac germine, biennis admodum extinctus eſt. Alter HORATIUS in herba jam, ac primævo flore feliciſſime ſuccreſcens, & ad Eruditionis ſummum decus læte conſurgens, immaturo quoque fato raptus eſt, tam alte paternis medullis ac viſceribus revulſus, ut nulla ſatis dies, nulla medicina acerbiſſimum parentis luctum ſedare atque egerere potuerit; quo minus inopinato ſæpe impetu recrudeſceret, obductumque a longo tempore vulnus refricaret.

SIMON magnis ingenii facultatibus præditus, omnique elegantia, ac liberalitate, ad pulchra quæque & præclara effloreſcens, maximamque ſuſtinens expectationem, lubrico adoleſcentiæ,

&

& præcipiti illo virtutis ac vitii flexu, adhæsit ad metas, æstuque seculi absorptus, post longinquos tandem errores regressum ad pœnitentiam cepit, atque sub optimi Parentis oculis & precibus obdormivit.

JOANNA MARGARITA, egregia virtutis indole spectata, ac commendabilis, matrimonium tenuit cognati sui WILHELMI KUITZII, qui apud Harlemenses sui negotii bene gerens, atque ampla ac copiosa in re constitutus mercator, ante aliquot menses Ecclesiæ Senioris dignatione conspicuus excessit, & gener socerum viam illam communem leti præivit, ne unam tantum cladem funestæ domus lugerent. Virilis stirpis novissimus CAMPEGIUS ad omnem laudem atque excellentiam tum natus factusque, tum educatus, atque sancta in domo, castaque sub disciplina enutritus; spes opesque non familiæ tantum suæ, sed & Academiæ

noſtræ ſuſtinet: cujus ne gravis ſim fronti ac verecundiæ, voviſſe in præſentia ſatis habebo, ut quam glorię ac dignationis paternę communionem in primo juventæ flore adiit, quum gaudiis delibuto Parenti dextram Collegii in Theologia porrigere meruit: quamque nunc crevit famæ ac nobilitatis hæreditariam poſſeſſionem, eam amplificatam, ſi quæ culmen tenent acceſſionem recipiunt, ad ſeros propaget nepotes. Non ceſſent Vitringana e domo, qui firmo in loco Divinitus pangantur clavi, vel ſtatuantur columina, in quibus luceat, vivat, perennet, tota mente hauſta atque expreſſa beatiſſimi Defuncti imago. Sic aliud nihil fatali illa neceſſitate, ad quam nunc defluxiſſe me ſentio, interciderit, quam male tutum illud, & vigiliis lucubrationibuſque debilitatum atque exhauſtum corpuſculum, quod a longo jam tempore in quietem & ſomnum prominebat. Nondum toto vertente

anno

anno mortis prænunciam ſubmiſerat Deus, levem acceſſionem apoplecticam, aut ſubitum potius ſenſuum ſtuporem, mox in hemiplegiæ imperfectæ ac clementioris ſpeciem commutatum. Malum illud tunc quidem tempeſtatis diſcuſſum eſt, ejus tamen veſtigia altius hæſere, & vigor corporis, abſumto velut oleo, exſpirare meditantis, multum decrevit. Gravitas quoque aurium, ex qua longinquo jam ſpatio laboraverat, gradatim accrevit. Hæc aliaque ſigno erant atque argumento, feſſum jam, atque ruinas undique ducens terrenæ domus habitaculum, urguente fato, necopinato eſſe procubiturum; quod ut cuncti triſtes notabamus, ita ipſe lætus & alacer præſenſit, proximiſque atque amicis ſæpe prædixit. Ipſo etiam die illo, qui decretorius ipſi fuit, cum afflictiſſimam repentino Aviæ ſuæ funere Nurum adloqueretur, recenti exemplo commonitus, ea de re

ſerio egit, quamvis nullis extraordinariis incommodis prægravaretur: quum ecce poſt meridiem, dies erat trigeſimus primus Martii, hora quaſi media quinta, recurſans ſuperior ille ſtupor Eum occupavit, cum vomitu, & pedum ac totius corporis vacillatione conjunctus: mente tamen hactenus intacta, tranquilla, ſerena, atque in omnem eventum compoſita. Abiit interea temporis quadrans horæ, quum crudeſcente malo, gravior Eum, quam ante, apoplexia invadit, cumque voce, motum ac ſenſum omnem opprimit. Arceſſitus e veſtigio clariſſimus & experientiſſimus Collega noſter MUISIUS, efficaciſſima hoc in caſu admovit remedia, omnemque vim Medicinæ in pretioſo hoc capite conſervando explicuit. Fruſtra, negato enim per fauces jam præcluſas tranſitu, opi artique Medicæ loci nihil fuit relictum. Oboritur deinde artuum vehemens tremor. Oboritur & fe-

febris, in qua potiſſimum morbi hujus ſolvendi ſpem collocant medentes. Sed nervorum illa reſolutione ingraveſcente, & collectis omni ex parte viribus noviſſimum impetum edente, intra paucas horas, circa mediam undecimam nocturnam ejuſdem diei, inter lacrimas ac preces ſuorum, finivit, & ſtipendiis vitæ humanæ defunctus, emeritam, Deoque plenam animam, cœlo reddidit; ætatis anno tertio & ſexageſimo, quem uno minus menſe & ſexdecim diebus, complevit.

Statura Ei mediocris fuit, ac prope juſta, recta primum, deinde decoro curvamine clementer inclinata: quod non tam feſſa ætas, quam indefeſſum legendi ſcribendique ſtudium homini libris affixo contraxerat. Filum corporis gracilentum, ſed bene tornatum, liberale, nobile, cui quidem lucubrandi pertinacia habitudinem tenuarat, neutiquam tamen gratiam deterſerat.

Os probum, verecundum, honeſtum, multa dignitate ac gravitate conſpicuum. Vultus ſerenus, & ingenua liberalitate renidens ferme ac diffuſus, tranquillitatem animi compoſiti ſpirans. Valetudo infirmior inde a parvulo, & obnoxia, neque ſudoribus, quos ſibi dies noctesque imperabat, tolerando: unde gravibus ſæpe morbis & incommodis afflictatus, plus ſimplicique vice, leti limine ab ipſo revocatus eſt. Anno ſeculi altero, invaſit Eum immitis ille ſedentariam vitam colentium carnifex, calculus, & nodoſiſſima ſtranguria, præſentaneam intentans mortem: ſed peſtis illa Numinis beneficio, & medendi miraculis nobilitata dextra Clariſſimi Collegæ noſtri LATANÆI, brevi in ſpatio diſcuſſa eſt. Importunis præterea deſtillationibus ſubinde vexato, eodem hoc anno pertinacior earum vis incubuit, quæ nunc remittens, nunc intendens, ſedem tandem in auribus fixit,

at-

atque ad ſepulcrum uſque comitaturam invexit auditus gravitatem, longam patientiæ ac virtuti materiem, & calamitatem tam magis luctuoſam, quam magis Profeſſorii ordinis hominibus dandi accipiendique ſermonis commercium neceſſarium eſt & fructuoſum. Vocis tamen imperio non excidit, ſed eam feliciſſime ſemper moderari perſeveravit: credo, quod habitum jam collegiſſet lingua, decore cuncta apteque ſonandi. In conſortiis quoque, ubi honeſto ſtudiorum laxamento indulgetur, & literarum faſtidioſum ſenium diluitur, gradum ſuum egregie per omnem vitam tutatus eſt, atque in totum magnam incommodi hujus partem, ope fabrefacti cornicilli, incredibili quadam dexteritate levavit.

In hoc tam male firmum, cauſſarium, ac ruinoſum hoſpitium, animus commigrarat magnus, erectus, donis naturæ, donis Gratiæ cumulatus, in

omnemque virtutem exaggeratus: quibus expingendis, justoque verborum lumine ac honore exequendis, non venæ nostræ sterilitas, non infantia vocis suppeditaverit. Ingenio polluit acuto, subtili, interiora secante, nec minus uberi, fœcundo, amplo, & laxissime, ut sic dicam, habitante, cui non res angusta domi, sed omnia undique ornamenta affluebant. Non minore floruit judicio, quod Ei adfuit acre, solidum, censorium, rerum momenta versans libransque, & nil nisi amussitatum admittens. Memoriæ Simonidis miraculi famam & celebritatem circumdedit antiquitas: in Nostro quoque facultas hæc admirabiliter, ac tantum non prodigiose viguit, rebus in arripiendis velox; in asservandis tenax & fidelis; in reddendis denique, justoque loco expromendis, fallere, & depositum infitiari, nescia. Has dotes, quas benigna nascendi sors Ei inseverat multo

to luculentissimas, longo usu cultuque mirificum ad cumulum provexit partim, partim inflammato quodam ardore vigoreque mentis aluit, sustentavit, & novo identidem pabulo vegetavit. His radicibus nixus, Eruditionis culmen occupavit, atque in tam magnificam omnium scientiarum possessionem pedem posuit. Finxerat Eum præterea natura ad omnem humanitatem, æquitatem, & justitiam, tam alte generosum illud honestum pectori ejus imprimens, ut omnis officii cultor idem esset & exactor severissimus, & singularem in rebus agendis adhiberet prudentiam ac religionem, sic cogitate omnia tractans, suisque momentis pensitans, tanquam si cunctis actionum suarum rationes reddere decrevisset. In familiari convictu blanda alias & facili morum comitate, atque adeo hilari & festivo, præsertim quum genua virerent, propior, quippe cujus liberalior indoles in omnem

leporem & urbanitatem exuberabat, facetoque ſale ſeſe, porrecta anſa, exſerebat, non atro illo ac mordaci, ſed cujus fricтu melior ſaniorque diſcederes. Nunquam aliud ore promptum, aliud ſinu clauſum geſſit. Sub perſona non vivit vir bonus neque aſtutam vapido ſub pectore ſervat vulpem. Neque tamen feneſtrato idem corde obambulet neceſſe eſt, ut ſinceritatis ac candoris laudem tueatur. Simplicitas nobis commendatur columbarum, ſed ſimul & ſerpentum prudentia. Inceditur paſſim per ignes ſubpoſitos cineri doloſo; vepribus ſentibuſque obſita eſt, quam calcamus, via. Non nudum itaque, & ictibus undique opportunum ſe dabit ſapiens, ſed ſua ſe circumſpectione, larva hypocritis relicta, involvet. Tectum hunc ſi quis appellaverit, juſta armatura tectum ſciat & communitum. Hanc ſectam ſecutus Noſter, ſic amicis apertum præbuit pectus,

ut

ut ſimul inimicis clauſum latus opponeret. Diſſenſiones non ultra civilem modum exercuit, & malignis dentibus ſæpius impetitus, nunquam felle ſuffuſos reſtrinxit dentes, ſed honeſtis & generoſis armis vim oblatam refutavit: indolis niveæ, nullaque ærugine tinctæ vel evidentiſſimum documentum. Injuriarum & offenſionum, non tam contemtor in initio, quam victor: ubi cum annis ingenerata animi magnirudo accrevit, non ſuam vicem doluit laceſſitus, ſed eorum, qui fragili genuinum illidere quærentes, ſolido offenderent: atque per ipſius latus ſuum ipſi jugulum haurirent.

Aliorum ſcriptis nec irriſor imminuit, nec arroſor: ſuis opibus contentus, nunquam rebus opimis aliorum macruit; nunquam ex alterius minuta fama ſplendorem aucupatus eſt: noverat obtrectatores pœnæ ſuæ incubare, ſuaque ipſos viſcera lenta tabe atque inte-

ſtino morſu conſumere. Ut aliorum laudi æmulatione ſplendida ipſe ſuccreverat, ita ad ſuam gloriam connitentes & conſurgentes alios, lætus adſpiciebat, omnibuſque ſtimulis accendebat. Honeſtorum hinc conatuum non parcus laudator: nec tamen adulator: virtutis etiam in hoſte poſitæ mirator, & prædicator. A ſtudio partium, tanquam a ſcopulo, reſiluit. Amicus ei Coccejus, amicus Voetius, ſed magis amica veritas: ſic neutri, ut ſit, factioni ſatis placuit; ſed placuit Deo, placuit quietis ac moderatis ingeniis, placuit pacem Zionis amantibus, placuit domeſtico ſuo judici, atque conſcientiæ mercedem ac fructum tulit ſuaviſſimum.

Ipſi Religionis noſtræ perduelles, ut fortiſſimi Theologi dextram opimis hoſtium ſpoliis nobilem formidarunt, ſic æquiſſimi ſimul fidem, integritatem, veritatem, ac magnanimitatem, artes omnes

omnes ac cuniculos aſpernantis, & juſto Marte belligerantis, complexi ſunt ac reveriti. Roma quoque, illa collorum calcatrix, maximi Viri virtutes in arce locatas adſtupuit. Potens fuit dictis factiſque. Inerat lumen, inerat flumen mirificum docendi, tam ex ſuggeſtu, quam ex cathedra. Neminem unquam hac in Academia, tanta frequentia, qua publicis, qua privatis in acroaſibus circumſedit. Neminem etiam forte tanta cura tenuit, ut ſemper novus, ſemper ſe ipſo major, prodiret. Scientiarum Reginam Theologiam, quam mentes humiles, anguſtæ, & ſordibus ac tenebris oppletæ, velut diademate ac purpura nudatam dehoneſtant, ſplendido elegantiorum Literarum inſtrumento, lautiſſimoque omnis antiquitatis ac memoriæ apparatu honeſtavit: diſciplina Ei non jejuna, macilenta, ſpinis horrens & aculeis ſcholaſticis, quibus ingenia præfocantur

& extinguuntur, ſed vitali quadam ubertate pectora quoque ſiniſterius nata fœcundans, & vegetabili ſucco animans. Diſponere diem, & ſpatia laboris otiique rite ordinare curioſus, vel dicam religioſus. Non dominum & arbitrum temporis ſui ſe agebat, ſed navum legiſque metuentem diſpenſatorem. Somni, vini parcus, ſuccinctis ſe lumbis in ſtatione ſua continebat. Adventantis Judicis reverentia dies noctesque menti ejus invigilabat. Rectorem Academiæ bis præſtitit, fidei, religionis, juſtitiæ ſervantiſſimum. In Academico tribunali, vel ampliſſimo ſenatus conſeſſu, gravitatem & pondus ſententiæ, admirabili ſemper lenitate temperabat; æqui bonique rigidiſſimus ceteroquin cuſtos ac propugnator. Nihil ipſi penſius, nihil antiquius Academiæ Eccleſiæque ſalute, dignitate, ſplendore. Utramque plus quam pro virili parte doctrinæ ſuæ radiis, & vere ſpiritua-

ritualis vitæ lumine complevit. Sacris cœtibus, etiam poſt quam obſurduiſſet, conſtantiſſime interfuit. Qua publice, qua privatim, Divinæ unctionis largiſſimam menſuram exhalavit. Talis Tu, Tantuſque, evolaſti nobis, O Pater, Pater, Currus Iſraelis, Equiteſque ejus, ac flammante velut vehiculo in Cœlum abiiſti! Requieſcat *Elianus* ſpiritus ſuper Filium *Eliſæum*, atque, ut pulcherrime cœpit, in maximas quaſque laudes exuberet. Salvete Sancti Manes, quodque meritis veſtris inopia dicendi detritum eſt, ardori venerationis pietatiſque, quo meum erga vos flagravit, flagrabitque pectus, condonate.

D I X I.

MEMORIAE
CAMPEGII VITRINGAE,
QUONDAM
THEOLOGORUM PRINCIPIS,
NUNC
ORBIS DESIDERII.

Linquite Pierides nemorosa cacumina Pindi:
Intonso valeant cara fluenta Deo.
Cingite Idumaeis, ah! cingite tempora palmis,
Abluat & sordes unda potens Siloës.
Jordanis vos lustret humor, laticesque Sionis,
Lymphaque quae sanctis depluit e scopulis.
Ite, agite, & manibus mecum date cinnama puris,
Granaque, quae dives mittit odoris Arabs.
Occidit heu! magnus, magni pia cura Tonantis,
Armiger, Ausonii quem timet aula Jovis.
Hunc Lojoleae sensit contagio faecis,
Et Vaticani spicula fracta Dei.
Non capit hunc Frisonum sedes, Batavique propinqui,
Non tellus gelidis qua fluit Hister aquis.

Hic

Hic eſt, quem Getici ſtupuit ferus accola Ponti,
Et Thrax, & Latio gens male nota Varo,
Et pelle hirſuta defendens frigora Dacus,
Quique bibit fontes, proxime Rhene, tuos.
Hic eſt, qui patriis famam non terminat undis,
Extremis dudum notus Hyperboreis.
Sarmata miratur referantem oracula Jovae,
Et ſacro magni pendet ab ore ſenis.
En niveos linquit peregrinus Dalmata colles,
Dum properat Friſio fonte levare ſitim.
Nunc quoque teſtatur verum pius Orbis amorem
Ad buſta, & ſalſas ſolvitur in lacrimas.
Parce, precor, ſociis manes laſſare querelis:
Nobilis en patrio ſurgit avis cinere.
Sancte Parens, populis Proles tua pandet Idumes
Orgia: ades coeptis Tu Cynoſura ſuis:
Proles, cui meritas ſpondent praeludia laudes,
Jam generi aeternum quae meruere decus.
Aſt ego non tacita ſolvam pia munera acerra,
Annua honorato ſerta vovens tumulo.
Nos humiles elegos; magno SCHULTENUS amico
Digna ſonet, Latio nobilis eloquio.

MEMORIAE
VIRI SUMMI,
CAMPEGII VITRINGAE,
THEOLOGORUM,
DUM FUIT,
PRINCIPIS,

TErra vale: mens ſtelliferum ſuſpirat Olympum:
Invitum retines, terra inimica vale.
Ecce Deo, fragili laxatus carcere Victor,
Quem votis petii, jam propiore fruar,
Inque triumphali praecinctus tempora palma
Extollam laudes, maxime Chriſte, tuas.
Terrenae felix ſperno contagia faecis:
Praecipit aeternas mens pia delicias.
Quid male me juncta dudum compage moraris
Ingratoque tenes, corpus, in exilio?
Sentio libatas laetus tabeſcere vires,
Optatamque diu en feror in patriam.
Terra vale, & mea Vos dulciſſima cura valete,
O deſiderii vincula cara mei.
Quem natura jubet, luctum tolerate: dolori
Mollivit lentos jam timor ante gradus.
Dixerat; & leni reſolutum membra quiete
In ſedes obitus tranſtulit aethereas.

Magne